

Molinosum et Placita Sanctorum, si ea subtilitate polleat, ut eas intelligere atque explicare velit *in sensu catholico*.

R. *Ad 2<sup>um</sup>. N. A.* Nam error est, resistentia erga potestatem et irrefragabilem Ecclesiae auctoritatem a Christo promissam, quo omnes, aut fere omnes Episcopos cum Capite Ecclesiae unitos posse approbare, imo actu approbasse dicant Bullam *funestam fidei*; itaque sicut omnia iudicia Ecclesiae reddunt inutilia atque incerta, ita omnes haereses vel damnatas vel damnandas contegunt et approbant. Error est, quod Quesnellistae nunquam quinque propositionibus Jansenii damnatis eum sensum tribuant, quem illis tribuit Ecclesia. Evidem asseverant, se credere, quod e. g. *homo possit resistere, ac sepe etiam resistat interiori gratiae*; sed in sensu prorsus contrario ad sensum Ecclesiae, quia non credunt, per eam gratiam, quae caret effectu, ab homine posse impleri precepta, spectatis *circumstantiis*, in quibus reperitur, et diversis *gradibus* concupiscentiae, qua premitur, et *viribus*, quas habet; et sic de aliis.

Ita quippe auctor operis : *Mémoire sur les refus des sacrements* : instruit refractarios, ut dicant, a se credi omnes veritates ab Ecclesia definitas, et condemnari omnes errores ab Ecclesia damnatos; sed altum sileant de *propositionibus Quesnelli*, quas falso et contra evidentiā facti supponunt, non esse damnatos : de *Libro Jansenii*, cuius sensui tenaciter inherent: de *Formulario*, quo tacite excluditur professio eorum fidei; idque non obstantibus omnibus decretis et sententiis Ecclesiae.

**248. Obj. IV.** Encyclica seu *Breve Apost.* BENEDICTI XIV. super Bullam UNIGENITUS, huic tanquam iudicio dogmatico derogat in multis: nam pleraque Parlamenta illud *Breve Apost.* repudiarunt, 1º. eo quod repugnet legi silentiarie a Rege circa predictam Bullam impositae: 2º. Quia indirecte eo tendit, ut definitiones Rom. Pontificum habeantur pro regula fidei et morum, independenter a libera, uniformi, et conciliari acceptatione Ecclesiae: 3º. Quia docet, Bulla UNIGENITUS neminem posse *absque salutis aeterna discrimine*, ullo modo refragari; item jubet, publice ac notorie refractariis denegare sacramenta, etiam in articulo mortis; cum vero Bulla UNIGENITUS semetipsam haberi pro regula fidei mandet, idem erit obligari ad acceptationem *Brevis Apost.*, ac obligari ad habendam Bullam UNIGENITUS pro regula fidei, ac contra sentientes pro schismaticis et haeticis.

R. *Ad 1<sup>um</sup>.* Rex Galliae nunquam silentium imposuit Episcopis circa substantiam, sed tantum circa modum et qualificationem Bullae, dum alii eam dixerunt regulam fidei, alii negarunt. Imo ne hanc quidem qualificationem, *in sensu minus stricto*, velat Episcopis, si modo contrarium sentientes nullo actu solemnē et publico damment ceu haeticos ac schismaticos notorios, atque a sacramentis arceant; *Prohibemus*, ait Rex, *ne quis alium provocet, vel aggrediatur injuriosis terminis Novatoris, Jansenistae, Semi-Pelagiani, Schismati, Haeticci...* et hoc quidem ad aliquod tantum tempus; imo in declaratione de anno 1720. silentium duntaxat imposuit in annum unicum. Secus autem facientes Episcopi considerabantur ceu violatores legis silentiarie, ita ut poneretur causa appellationis *de abusu*, ac recursus ad Parliamentum,

R. *Ad 2<sup>um</sup>.* Encyclica Papae intendit praeceps, ad *preces regis Galliae et Praesulum Gallicanorum* praescribere *regulam* circa deneganda refractariis

adversus Bullam UNIGENITUS sacramenta, abstrahens interim ab omnibus Bullae qualificationibus, scilicet vel quod sit regula fidei, vel iudicium dogmaticum universalis Ecclesiae circa objectum pertinens ad regulam fidei, vel lex tantum Ecclesiae et status. Hujus rei causam vide num. 245.

R. *Ad 3<sup>um</sup>.* BENEDICTUS XIV. recte negavit sacramenta publice ac notorie refractariis: non quod Bullam UNIGENITUS non acceptarent tanquam regulam fidei *in sensu stricto*; sed quia temerarie recusarent, se conformare iudicio Pontificum et fere omnium Episcoporum in questione *facti doctrinalis*, quo judicant, considerato toto nexus doctrinae Quesnelliana, revera in ea contineri propositiones haeticas et schismaticas, manifeste tendentes ad renovationem Jansenismi et Baianismi; atque hinc dicit, *non fore tutos, sed maximo salutis suae discrimine....*

*Inst. 1.* Regula in Brevi Apost. prescripta quoad 4<sup>am</sup>. partem videtur iniqua, quia refractarios notorios sola notorietae facti privat S. Viatico; idque 1. contra apertam S. Augustini doctrinam, qui hom. 50. inter 50. (al. serm. 331. c. 4. n. 10.) *Nos vero, ait, a communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum.* 2. Contra exemplum Christi, qui Iudee porrexit S. Eucharistiam. 3. Contra communem regulam: non posse quemquam privari Communione, nisi fuerit declaratus pro excommunicato.

R. *Ad 1<sup>um</sup>.* Si notorietas facti sufficit ad denegandum S. Viaticum concubinario publico, qui adhuc in articulo mortis secum detinet concubinam: cur ea non sufficiat ad publice ac notorie refragantem Constitutioni Apost. et nec in morte resipiscentem, eodem privandum? S. Aug. ibidem, ut probat contextus, exhortatur peccatores prolapsos in casum pro *pénitentia publica* reservatum, ut licet crimen convincenter per testes probari non possit, semetipsos in ordinem pénitentium sistant Ministro Ecclesiae. Cum tamen populus videret quosdam, quos noverat talium criminum reos, accedere ad S. Communionem, S. Aug. se excusando dicit, sibi ea crimina aut non fuisse denuntiata, aut ea a denuntiantibus non fuisse rite probata.

Jam vero neutrum genus peccatorum, sive quos S. Aug. solus cognoscebat, quin cognoscerentur a populo; sive quos non cognoscebat Aug., cognoscebantur autem ab aliis, at sine denuntiatione facta Episcopo, comprehendebatur in classe peccatorum publicorum ac notiorum notorietae facti; adeoque ad denegandam ipsis *Communionem* (quam quidem nonnulli aliter intelligi volunt a S. Aug. hic, quam de Eucharistia) necessaria erat aut confessio propria, aut convictio judicialis. Addit nempe S. Aug. serm. supra cit. : *Quis enim sibi ultrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator et judex?* Alibi S. Aug. pro sufficienti causa agnoscit notorietaem facti, ut hom. 49. inter 50. (al. serm. 392. ad *Conjug.* n. 5.): *A communione se cohibant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur: quorum autem nescio, hos coram Deo convenio.*

R. *Ad 2<sup>um</sup>.* Non est omnino certum, quod Christus Iudee porrexit S. Eucharistiam; de quo plures SS. Patres et Interpretes ambigunt. Si certum: docet ANGELICUS, Iudam non fuisse peccatorem publicum 3. p. q. 81. a. 2. ad 2. De publico autem peccatore docet cum S. Chrys. et aliis: *Si novus Judas corpus Iesu Christi petat, prohibe illum.* Quippe ministri Ecclesiae dun-

taxat dispensatores mysteriorum sunt, et ut fideles inveniantur, sanctum dare canibus non licet.

R. Ad 3<sup>um</sup>. N. quod sit communis regula : quæ fuit objectio Parlamenti Burdegalensis in epist. ad Regem; verum cui Cancellarius D. Daguesseau abunde satisfecit dicens : *Auctores prædictæ epistolæ non satis penetrarunt principia hujus materiæ : videntur enim confundere velle duas res valde diversas, nempe recusationem administrandi sacramenta iis, quos Ministri judicant indispositos, et pœnam excommunicationis. Excommunicatione quidem privat sacramentis, sed non omnis privatio sacramentorum est excommunicatione...*

Inst. 2. Iniquum est, ejusmodi refractariis in morte denegare S. Eucharistiam, quæ viventibus fuit concessa : iniquum, pro peccatoribus publicis habere presbyteros virtuosos, doctores celebres, virgines pias : iniquum, nequicquam cedere, aut de rigore velle remittere, ut evitetur schisma, et pax adeo desiderata procuretur; ergo.

R. Ad 4<sup>um</sup>. N. supp. Nam complures, præsertim Moniales fuerunt juste privatae sacramentis, tam in vita, quam in morte, quia earum renitentia erat publica in illarum communitate ; sicut indignitas peccatoris publici est cognita in suis ædibus, ubi negatur ipsi viaticum. Imo si notorietas delicti supponatur esse æqualis tam in templo, quam in domo, dubitandum non est, quod peccatori publico ad sacram mensam accedenti deneganda a parocho sit Eucharistia. Hic vero casus non est ita frequens, ut quis visa multitudine audientium Missam, vel communicantium, præsertim Parisiis, ubi vix sciuntur nomina præsentium in templo, agnoscat, quinam sint publici peccatores.

R. Ad 2<sup>um</sup>. N. A. Non enim in sola morum honestate virtutes christiani hominis omnes consistunt; hinc Tertullianus factus Montanista, quamvis conservaret morum puritatem, quæ ipsum in censem Doctorum virtute et scientia illustrum exixerat ; tamen tota hæc apparentia sanctitatis non impediens, quin S. HIER. L. contr. Helvid. n. 17. diceret : *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* Bossuetus Protestantibus pietatem et charitatem suorum objicientibus doce respondit, eam pietatem tantis encomiis evectam, nisi submissio erga Ecclesiam jungatur comes, reipsa nihil aliud esse, quam subtilem ac periculosa hypocrisin, cum modus bene credendi sit fundamentum bonæ vitæ.

R. Ad 3<sup>um</sup>. Ministri Ecclesiæ nequicquam cedere possunt de *juribus sacris*, cum non sint propria, sed Christi et Ecclesiæ jura. Non hic agitur de personali emolumento Ministri, sed de reverentia Corpori et Sanguini Jesu Christi debita, cuius profanationem publicam et scandalosam impedire tenentur. Pax hujus mundi solum fundatur in commodis temporalibus et humanis, quorum causa nonnunquam triumphus ceditur errori, et opprimitur veritas; sed pax Ecclesiæ, quæ est pax Dei, non reperitur, nisi in submissione integra ac perfecta ad judicia Ecclesiæ pro fidei puritate et integritate edita: in reverentia Ministri et tremendis eorum functionibus nomine Christi exercitis debita : nec non in zelo potestatis secularis, Ecclesiam protegendi. Hæc est pax, pro qua firmando ac restituenda apprehendit Ecclesia arma justitiae 2. Cor. 10. ad humiliandam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Si nihilominus seditionem foveant pervicaces, audiant

S. CHRYS. *Non est homo, qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem... adveniet tempus judicii, quod doceat rebelles, quid sint vincula ecclesiastica, quam potentia et formidanda.*

Inst. 3. Iniquum est, saltem in principiis Ecclesiæ Gallicanæ, habere pro excommunicatis needum *judicialiter* declaratos : sed hoc ipsum Breve illud Apost. BENED. XIV. aperte adstruit; ergo.

R. N. M. Nam hæc MARTINI V. concessio, quamvis, ut Dumont et Collet testantur, non reperiatur in Concordatis initis cum natione Gallica; tamen habetur in Concordatis initis cum natione Germanica. Dein Concordata cum utraque natione fuerunt inita solum ad quinquennium, nec de illorum innovatione constat. Præterea, si tunc temporis licuit Regi cum MARTINO V. nomine totius nationis Gallicæ per suos Legatos, saltem ex consensu nationis tacito ac presumpto, inire Concordata; cur idem non liceat eorum successoribus? Si vero id licet, consequitur, hunc tacitum nationis consensum a Parlamentis non posse sine regiæ Majestatis dehonoratione revocari vel irritari, nisi id patet evidens et magna regni necessitas, qualis in præsenti easu non datur. Nam BENEDICTUS XIV. in suo Brevi Apost. nationi Gallica totum, quod potuit, indulxit, ut patet ex dictis supra. Demum hæc via moderationis atque excusationis, quam ostendit, Episcopis insinuat, dum scribit, notorietatem criminis, quæ ab interna dispositione dependet, certioribus ac gravioribus probationibus indigere.

Inst. 4. Breve illud Apost. quoad secundam sui partem videtur aut plane inefficax ac inutile, quia vix unquam effectum habuit vel habebit; aut indignum etiam : tum quia, si adsint graves præsumptions et urgentia indicia non acceptationis Bullæ UNIG., ea saltem domesticis cognita erunt: tum quia, ubi sunt ejusmodi graves præsumptions, non licet impendere absolutionem sacramentalem; ergo et Eucharistia non sine scandalo et injurya porrigitur.

R. N. A. Nam 1<sup>o</sup>. Breve Apost. saltem fuit promulgatum et receptum in Galliis, ceu idonea justaque regula urgendi executionem, seu acceptationem Bullæ UNIGENITUS. Si quando autem effectu caret, aut non rite, aut plane non applicata; id se habet per accidens ad mentem sapientissimi Pontificis, qui sicut vi prædictæ regule, quantum fieri potuit, liberalitatis refractariis indulxit plurimum, ita rigoris, quantum necesse erat, minimum exeruit.

2<sup>o</sup>. Domestici, ubi vident tali moribundo porrigi S. Viaticum, poterunt cogitare, vel quod fuerint decepti circa suas præsumptions et indicia, vel quod moribundus alias refractarius egerit pœnitentiam; quippe charitas non cogitat malum, quin et omnia in bonam partem interpretatur.

3<sup>o</sup>. Judicium sacramentalis absolutionis est quid privatum et occultum : sed porrectio vel denegatio S. Viatici est quid publicum; cum ergo per indicia quantumvis gravia non fiat certo reus, habet jus uti ad famam publicam, ita ad Viaticum publice porrigidendum : quod si privatum et in occulto peteretur, paris foret conditionis cum absolutione sacramentali.

24<sup>o</sup>. Obj. V. Ut Bulla UNIGENITUS vere sit dogmaticum Ecclesiæ universalis iudicium, præcedere debet examen Episcoporum diligens ac maturum, et ne laedatur Libertas Gallicana, in provinciali aut nationali Synodo :

requiritur unanimitas et uniformitas in acceptatione: acceptatio sit libera, et promulgatio solemnis, utraque autem universalis, oportet. Sed ista deficiunt, quia Gallicani Præsules *leviter* duntaxat Bullam examinarunt, et Episcopi extra Galliam *caco modo* eam receperunt: plerique Episcopi obstiterunt, atque etiamnum obsistunt: in Galliis res tota regis auctoritate et terroribus peracta est: demum CAROLUS VI. eam noluit in suis Provinciis promulgari; ergo.

R. 1º. Si valet argumentum, nutabunt omnes omnino Bullæ contra *Lutherum, Baium, Jansenium, Molinosum*, etiam intra Conc. œcumenicum; ac proin cuivis fideli, prout insert Collet SS. Theol. Doctor et Professor Paris., licebit dogmaticis Concilii TRID. decretis reluctari, et ab ea Synodo, in qua Præsum ultra-montanis placitis addictorum numerus prævaluit, ad aliud vere œcumenicum appellare Concilium, in quo Episcoporum dictis placitis adversantium numerus vinceret.

R. 2º. Quidquid sit de examine Episcoporum, cui querelæ instar omnium satisfacit locuplètissimum Patriarchæ Ulyssiponensis ad Episc. Nemaus. testimonium 28. Sept. 1717., quo postquam omnia ceu totidem insignes calumnias explosit; id confirmat, ait, *effatum apud Gallos tristissimum: nemo Jansenistis mendacior*. Quidquid de *juribus ac privilegiis Clerici Gallicani*, quæ sane melius perspecta fuere Regibus, Episcopis et Clero Galliarum; hoc statuimus indubitatum: legem publica et legitima auctoritate latam, firmam ac inconcussam ex se esse debere, nec privato cuivis, ut illam infirmet, fas esse inquirere in *examen, modum, et motivum*, quo lata est; præsertim cum promissa Ecclesia a Christo facta perpetua sint et absoluta, ita ut certo tenendum sit, semper omnes necessarias conditions fuisse adhibitas, quoties lata est, aut acceptata a corpore primorum Pastorum definitio.

R. 3º. Ad unanimitatem sufficit multo major primorum Pastorum mūltitudo adhærens Capiti Ecclesiæ, juxta VINCENTII LIRIN. Commonit. c. 38. Alioquin legitime non fuerint acceptata, tum Zosimi decretum, cui 19. Episcopi cum suo duce Juliano provocantes ad gen. Concilium: tum EPHESINI CONCILII statuta, queis præeunte Joanne Antioch. 30. Episcopi: tum CONC. CHALCEDONENSIS definitiones, queis multo plures restiterunt. Numquid plusquam decem Præsules Gallicani quondam Calvini partes adjuverant. Uniformitas alia non requiritur, quam communis consensus circa acceptationis substantiam: quotquot autem Episcopi Bullam acceptarunt, professi sunt omnes, sicut circa Constitutionem adversus librum de Molinos et de Placitis Sanctorum, ita in Bulla UNIGENITUS, sese doctrinam Ecclesie agnoscere, se illam cum obsequio et reverentia acceptare, se librum Quesnelli et extractas 101. propositiones eodem modo proscribere, ac cum iisdem qualificationibus, quibus a Summo Pontifice damnatae sunt. Quodcumque ergo occurrit discrimen acceptationis, id spectat solas *formalitates*, varias pro variis locorum ac temporum circumstantiis.

R. 4º. Ut acceptata, sic promulgata fuit Constitutio UNIGENITUS in Ecclesia Romana, omnium reliquarum Matre et Magistra: in Ecclesiis totius Italæ: in tota Gallia, ubi orta est controversia: demum ab universi fere orbis Metropolitanis, de quibus vide n. 241. Quamvis autem CAROLUS VI. noluerit

suis in Provinciae fieri promulgationem Bullæ UNIGENITUS solemnam per Nuntium Apost.; facta tamen est huic æquipollens promulgatio per omnes Germaniæ et Belgii Academias, eidemque fere omnes orbis Episcopi et Doctores sine ulla oppositione in suis Lucubrationibus, Synodis, Epistolis omnimodam venerationem ac obedientiam deferebant.

*Inst. 1.* Si Bulla UNIGENITUS est judicium Ecclesiæ dogmæticum; ergo iniqua esset appellatio ad Concilium: atqui non est iniqua; tum quia innumeris sunt Appellantes, et inter hos non pauci etiam Episcopi; tum quia appellationem hanc Deus videtur comprobare tot prodigiis, et sanitatum operationibus ad tumulum Diaconi *Paris*, qui appellationi immortuus est; ergo.

R. N. min. De *appellatione a judicio Ecclesiæ dogmatico ad Concilium Generale*, vide num. seq. et Tract. de Princip. Theol. Porro convocare Concilium adversus mala quotidie emergentia, non esset medium decens prævidentiam divinam, nec infirmitati humanæ conveniens, nec afflictis rebus Ecclesiæ accommodatum, quia non statim, non semper et ubique medela præsto esset. Demum nünquam *Appellantium Episcoporum* numerus (quidquid sit de inferioris conditionis refractariis) tantus fuit, quantus ille Appellantium haereticorum in causa Pelagii, qui cum suo duce Juliano novemdecim erant, cum Appellantes in Galliis Præsules nünquam plures, quam sexdecim fuerint; et hodie vix ullus sit.

Quantum ad *prodigia*: extrellum hoc effugium, et cause deploratae, nostrø præsertim ævo, miserrimum præsidium est, ex hoc multiplice capite: omnes namque omnium seculorum haereticæ sui erroris et fictæ sanctitatis patrocinium ementia miracula jugiter jactitarunt: et Diaconus *Paris* ad mortem usque doctrinæ Jansenianæ pertinaciter adductus, in æquissimam formulæ legem furiose debacchatus, cum Archiepiscopo Ultrajectensi notorie intruso, schismatico, et nominatim excommunicato, arcta communione junctus, gloriatus tanquam de præclaro facinore, quod perdiu, exceptis diebus Festis et Dominicis, abstinuerit ab ingressu Ecclesiæ, et per biennium, etiam in Paschate, prætermiserit S. Communionem. Asserta Diacono *Paris* *mira-cula*, post maturam ad juris præscriptum discussionem, declarata et rejecta sunt tanquam ficta, absona, temere et contra leges evulgata, characteribus legitimis plane destituta, ab omni prorsus fide abhorrentia, Deo indigna, et diabolice potius virtuti adscribenda.

*Acta item verbalia Appellantium de iis miraculis, ceu evidenter probatis*, ab Archiepiscopo *Paris*. solemini Mandato pronuntiata, ipso jure radicitus irrita, seu rem, seu formam species, omnino vitiosa, multis titulis abusiva, informia, inutilia etc. Ac demum ut rex Christianismus firmaret Archiepiscopi *Paris*. sancta, et scandalum penitus aboleret, Coemeterium S. Medardi solemnis edictis claudi imperavit.

His adde, quod in pari concursu *prodigiorum et auctoritatis*, cuius est quævis miracula recognoscere ac approbare; Ecclesiæ auctoritati miracula cedere debeant tanquam columnæ et firmamento veritatis, ita ut, qui eam non audit, sit *sicut ethnicus et publicanus*; vide hic TRID. Sess. 23. de Invocat. SS. Adde Emin. Card. Lambertini, postea BENEDICTI XIV. opus per eruditum de Canonizatione SS., ubi Tom. IV. c. 7. de vita Diaconi *Paris* ita

habet : *totus et universus libelli*, Vie de Paris, contextus eo unice collimabat, ut homo Apost. Sedi refragans, schismaticus, haereticus, acerrimus impugnator Constitutionis, quæ incipit, UNIGENITUS, pertinax Jansenistarum assecla, falsis ipsi attributis miraculis imaginem solidæ virtutis et sanctitatis præ se ferret. Sancte ergo et prudentissime Episcopi Gallicani abstinuerunt a sumendis informationibus juridicis; et sancte ac prudentissime insano, scandaloso et temerario cultui obstiterunt.

Demum quæ insania, nostris temporibus, queis impietas et irreligio vera etiam miracula arrodit exploditque, ab iis hominibus, qui supra tot Pontifices, Archiepiscopos, Episcopos et Doctores sapere volunt, obrudi scenica convulsionum et crucifixionum prodiga, verius figmenta mendaciis et scandalis plenissima?

*Inst. 2.* Nullo argumento solido clare evinci potest, quod Bulla UNIGENITUS sit universalis Ecclesiae lex et definitio dogmatica; ergo.

R. N. A. Vide num. 243. Adde quod Archiepiscopus Parisiensis de Beaumont, quem jure dixeris ævi nostri Chrysostomum, Tournely, Collet, et alii plerique Galli vere orthodoxi ita ratiocinentur :

Ea constitutio habenda est *dogmatica* Ecclesiae definitio, quam uti talem constanter predicant Summi Pontifices, Cardinales, Synodi ea de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitiis et Mandatis pastoralibus, denique orbis catholici Metropolitæ, suis expresse aut tacite consentientibus Suffraganeis: plaudentibus insuper tam domesticis, quam exteris sacris Facultatibus. Atqui ex dictis Bulla UNIGENITUS, non ut mera discipline lex, sed ut *dogmatica* definitio, a Summis Pontificibus, Cardinalibus, Synodis, Præsulibus agnita fuit ac declarata, suffragantibus tum domesticis, tum extraneis Academiis; ergo.

Quæ solidissima ratiocinatio si quem nihil admodum moveat; metuendum sane cum sapientissimo aequo ac sanctissimo Archipræsule Parisensi in sua Instruct. Past. an. 1757., ne in Ecclesia, quæ semper sollicita pro conservanda unitate, puritate ac integritate fidei, errorem sub quovis simulationis fuso aut larva tectum nunquam tolerat; ne, inquam, amor novitatis, gustus singularitatis, vitium obstinationis agat precipitem in *falsam* illam *scientiam*, quæ tempore S. Pauli nonnullis causa erat *excidendi circa fidem*. 1. Tim. 6. 21.

250. *Observa.* Ex dictis sequitur *nullas et irritas* esse appellations ab hac dogmatica definitione Pontificis et Ecclesiae universalis ad generale Concilium. Præterea *illicitas* eas ostendunt prohibitions et decreta PII II. et MARTINI V. *Inutiles* denique probant tum experientia, qua novimus vel ejusmodi haereticorum exceptionibus nihil esse ab Ecclesia concessum, ut supra dictum de Juliano et aliis Pelagianis; vel Ecclesiae etiam indulgentia quoad hanc rem haereticis data nihil esse profectum, ut de *Lutheranis* et *Calvinistis* constat; tum ratio :

Quem enim in finem cogatur Concilium? An ut certi aliquid statuatur de dogmate? sed sicut *Baiani* et *Janseniani* de Baii et Jansenii propositionibus fatentur, eas, prout jacent, damnatas esse; sic etiam *Quesnelliani* de ducis sui articulis negare non possunt. An ut a concilio definiatur, sitne Baii;

Jansenii et Quesnelli sensus haereticus? Sed si Ecclesia in definiendis *factis dogmaticis* non est infallibilis, nec erit Concilium generale; cum auctoritas Ecclesiae congregatae in Concilio major non sit, quam Ecclesiae extra Concilium dispersæ quidem, sed cum Capite suo aliquid communicato consilio decernentis.

Unde *appellations* ejusmodi nihil aliud esse deteguntur, ac tergiversationes et subterfugia, queis interim declinetur judicium Ecclesiae, dum, quod his temporibus difficultimum est, conletur *generale Concilium*, id ipsum postea varis exceptionibus extenuandum. Vide Tract. de Princ. Theol.